



Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

190. Invitantur obvij quiqu[ue] ad nuptias. Discumbenrs sine veste nuptiali, ejcitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

II. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi: tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam: alius verò ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumelijs affectos occiderunt. *Matth. 22. Vers. 4. 5. 6.*

III. Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. *Matth. 22. Vers. 7.*

MEDITATIO CXC.

*Invitantur obvii quique ad nuptias:
discumbens sine veste nuptiali,
ejicitur.*

I. **T**unc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt; sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum: & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. *Matth. 22. Vers. 8. & 9.*

II. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. *Matth. 22. Vers. 10.*

III. Intravit autem rex, ut videret discum-

scumbentes : & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit. *Matth. 22. v. 11. & 12.*

IV. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Matth. 22. v. 13. & 14.*

Annotatio pro Parabola sequente.

Existimat Ioannes Maldonatus noster, Parabolam sequentem S. Lucae c. 14. à v. 16. esse eandem cum precedente S. Matthaei, quae in ea non serva verit ordinem historiae. Verius tamen S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 71. S. Gregorius hom. 38. in Evang. S. Thomas, Iansenius, Cornelius à Lapide, & alij censent, aliam esse precedentem Matthaei parabolam à sequente Dicitur Lucae : Vel certè si sit eadem, eam bis aliterque repetitam esse ; conferenti enim utramque plura occurrunt in ijs diversa. Propter nonnullam tamen similitudinem, priori nunc subiiciemus.

MEDITATIO CXCI.

Parabola XXXI. De invitatis ad cœnam magnam. X. Notata.

I. **H**omo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. *Luc. 14. v. 16. & 17.*

II. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: Rogo te, habere me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: Rogo te, habere me excusatum. *Luc. 14. v. 18. & 19.*

III. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reversus servus, nunciavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait servus: Domine, factum est, ut imperâsti, & adhuc locus est. *Luc. 14. v. 20. 21. 22.*

IV. Et ait dominus servo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo

viro-